

Deo sicut scientia beata, per quam creatura in Deo ut in causa cognoscitur.

130 Obijcies tertio: In specie effectus supernaturalis nequit evidenter cognosci per scientiam inditam mysterium Trinitatis, etiam quoad an est: Sed visio beatifica anime Christi est effectus supernaturalis: Ergo in specie creata talis visio nequit Christus evidenter cognoscere Trinitatem, etiam quoad an est. Major probatur: Ut in specie effectus supernaturalis evidenter cognoscatur mysterium Trinitatis, etiam precise quoad an est, necesse est quod talis effectus dicat habitudinem ad Deum ut trinum: Sed nullus effectus, etiam supernaturalis, dicit habitudinem ad Deum ut trinum, sed solum ad Deum ut unum; cum enim relatio effectus ad Deum funderur in ipsa sui creatione, seu productione ab illo, Deum solum ut creatorem respicit, subindeque non ut trinum, sed ut unum, quod quidem vis creativa, cum sit communis omnibus personis, pertinet ad unitatem essentie: Ergo, &c.

131 Respondeo distinguendo Majorem: In specie effectus supernaturalis ipsum representante solum ut est effectus, nequit evidenter cognosci mysterium Trinitatis, concedo Majorem. In specie effectus supernaturalis, que non representat ipsum solum ut effectum Dei, sed etiam ut objectum dicens habitudinem ad Deum, prout est in se, qualis est species qua nititur scientia indita anime Christi ad cognoscendam visionem beatificam, nego. Licet ergo nullus detur effectus Dei, qui illum respiciat ut est trinus, tanquam causam efficientem sui, quidam tamen sunt effectus supernaturales, qui Deum ut trinum tanquam objectum respiciunt, & ad illum dicunt ordinem transcendentem (sicut visio beata, & actus fidei quo credo Deum esse animum & trinum) qui prout nequeunt ab anima Christi quidditative & comprehensive, per scientiam infusam cognosci, nisi per eandem scientiam evidenter cognoscatur mysterium Trinitatis quoad an est, ut in secunda probatione prime partis conclusionis declaravimus.

132 Obijcies quarto cum Alvarez contra secundam partem conclusionis: Christus cognovit mysterium Trinitatis evidenter in attestante. Sed talis cognitio non potest nisi ad eus scientiam infusam pertinere, cum scientia beata tale mysterium evidenter in se ipso cognoscat: Ergo Christus per scientiam inditam cognovit mysterium Trinitatis evidenter in attestante. Major sic probatur & explicatur ab Alvarez: Anima Christi perfecte noverat se inter omnes creaturas intellectuales esse supremam, ratione unionis hypostatica, ac proinde a nulla alia creatura se posse illuminari, & per consequens sciebat Deum esse qui ei Mysterium Trinitatis, & omnia alia supernaturalia mysteria immediate revelabat, quem aliunde clare noverat nec falli nec fallere posse: Ergo evidenter in attestante cognoscebat mysterium Trinitatis, & omnia alia supernaturalia mysteria: in eo siquidem consistit evidens notitia rei in attestante, ut ex veracitate illius qui aliquid revelat, clare & evidenter cognita, manifeste inferatur rem illam quam indicat veram esse, hac enim cognitio non est evidens rei in seipsa, quam, ut suppono, clare non videt, sed solum in eo a quo revelatur & manifestatur, id est in attestante.

133 Respondeo, concessa Majori, negando Minorem; cognitio enim mysterii Trinitatis evidens in attestante, seu ratione testimonii divini illud revelantis & testificantis, non pertinet ad scientiam infusam, sed ad lumen propheticum, cum sit per medium omnino extrinsecum objecto, videlicet per revelationem divinam, sicut supra art. 5. dicebamus, cognitionem futurorum contingentium in testimonio Dei dicentis, & revelantis ea, non procedere a scientia supernaturali Christo infusa, sed a lumine prophetico, quoad a lumine glorie, & a scientia infusa distinguitur, per hoc quod lumen glorie creaturas in divina essentia ut in causa cognoscit, scientia infusa illas in seipsis contempletur, lumen autem propheticum, testimonio Dei extrinseco innititur.

§. III.

Corollarium precedentis doctrinae.

134 EX dictis colligitur primo, objectum scientie infuse anime Christi, esse ens creatum, prout in se supernaturaliter cognoscibile.

Patet hoc corollarium: Nam scientia infusa anime Christi attingit omne ens creatum supernaturaliter in seipso. Ergo sub aliqua ratione omni rei creato communi; sed non est alia assignabilis, nisi ratio entis creati, ut cognoscibilis in se supernaturaliter: Ergo hac est objectum specificativum scientie infuse anime Christi.

135 Colligitur secundo, Scientiam per se infusam anime Christi, esse unum specie habitum: Nam ut ait Sanctus Thomas in 3. dist. 14. q. 1. art. 3. questio. 4. ad 3. Non qualibet speciem diversitas facit habitum diversum, alias oporteret, quod quod sunt res, ut essent scientie, sed

diversitas specierum, que non reducitur ad eundem modum cognitionis secundum genus: Sed diversitas specierum infusarum anime Christi reducitur ad eundem modum cognitionis secundum genus, nempe ad modum cognoscendi supernaturaliter ens creatum in seipso, cum ratio entis creati, ut cognoscibilis in se supernaturaliter, sit objectum scientie infuse anime Christi, ut superiori corollario dicebamus: Ergo scientia infusa anime Christi est unus specie habitus. Nec obstat quod Sanctus Thomas hic art. 6. ad finem corporis sic dicat: *Et ideo scientia indita anime Christi sicut distincta secundum diversum habitum*; loquitur enim de scientia infusa, non pro eo quod dicit in recto, sed etiam pro eo quod importat de connotato, & in obliquo, species scilicet intelligibiles concurrentes objective, ut exponit Medina, Aravins, & Recentiores Thomista, ex Bergomensis in tabula aurea dubio 12. & 16. ubi hac distinctione conciliat id quod Divus Thomas ait hic art. 6. cum eo quod in tertio libro sententiarum docuerat.

Colligitur tertio, scientiam infusam anime Christi distingui a lumine glorie, a lumine prophetico, a nostra Theologia, & ab habitu prudentie supernaturalis.

Probatur breviter: Habitus & potentia distinguuntur per objecta: Sed objectum scientie infuse anime Christi, distinctum est ab objectis predictorum habituum: Ergo ab illis essentialiter distinguitur. Major patet. Minor probatur. Objectum luminis glorie est divina essentia ut in se clare & intuitive cognita; objectum luminis prophetici est ens supernaturalis cognoscibilis ratione divini testimonii, seu revelationis Dei evidenter vel obscure, objectum Theologie est Deus, ut subsistans revelationis virtutis & mediate, prudentia vero infusa, circa agibilia ut proprium objectum versatur: Sed ens creatum, prout in se supernaturaliter cognoscibile, ab illis objectis distinguitur: Ergo objectum scientie infuse anime Christi, distinctum est ab objecto luminis glorie, luminis prophetici, Theologie, & prudentie supernaturalis.

Colligitur quarto, Scientiam infusam anime Christi, non fuisse discursivam, quoad acquisitionem; bene tamen, quantum ad usum, potuisse intellectum Christi ea uti discurrendo.

Prima pars hujus corollarii patet, cum enim hac scientia fuerit divinitus indita, ideoque infusa appelleretur, non fuit acquisita per discursum, nec inventio humana comparata. Secunda vero, quam Suarez, Vasquez, Delago, & alii Recentiores negant, est D. Thomae hic art. 3. ubi docet, quod licet hac scientia non fuerit discursiva, quoad acquisitionem, fuit tamen discursiva quoad usum, & quod intellectus Christi ea uti potuit discurrendo. Ratio etiam illi suadet: Discursus enim consistit in diversis cognitionibus, quarum una ex alia deducitur: Sed licet anima Christi per habitum scientie infuse potuerit intelligere modo quo intelligit Angeli, nempe uno actu cognitionis, essentiam & proprietates, que representantur per unam speciem infusam; quia tamen ille habitus fuit quoad usum illius voluntati subiectus, potuit, pro voluntatis arbitrio, illo utendo, elicere unam cognitionem non adequatam cum representatione speciei, perquam sola essentia cognoscitur, & aliam ad solas proprietates terminatam; & consequenter potuit essentiam & proprietates distinctis cognitionibus, quarum una ex alia deducitur, intelligere: Ergo potuit anima Christi uti scientia infusa discurrendo. Unde licet in Angelis sit unicus dumtaxat modus intelligendi sine discursu, qui modus, cum sit necessarius, non potest immutari: tamen in Christo est duplex modus intelligendi per scientiam infusam; ut enim convenit cum Angelis, habet eundem intelligendi modum; in quantum vero homo & viator, habet modum conaturalem intelligendi nature humane, nempe cum discursu, potestque alterutrum eligere, & illo uti per scientiam infusam: de Matth. 22. probavit discurrendo se majorem esse Davide, dicens: *Quomodo si filius ejus est, vocat eum Dominum, &c.* qui discursus non potuit esse nisi a scientia infusa, cum per scientiam acquisitam anima Christi mysteria supernaturalia non cognoverit.

Dices: Per speciem immediatam objecti, non potest illius cognitio ex alia cognitione deduci: Sed Christus per habitum scientie infuse, omnia illius objecta cognovit per species immediatas illorum, cum per talem scientiam res creatas extra Verbum in se ipsis cognosceret: Ergo non potuit utendo habitu scientie infuse, unam cognitionem ex alia deducere, nec proinde discurrere.

Respondeo negando Minorem, & ad illius probationem dico, quod licet Christus per scientiam infusam res creatas extra Verbum cognosceret, subindeque eas cognosceret immediate immediate excludente essentiam divinam, ut medium, non tamen per exclusionem omnis medii; species enim qua Christus per scientiam infusam cognoscebat essentiam substantie creatae, habet rationem medii, in quo & per quod cognoscebat proprietates que ab illa proficiunt: unde licet tales proprietates quidditative, & ut sunt per se, per talem scientiam cognoscatur, non tamen sunt per se note,

note, sicut ipsa essentia, sed per alium, nempe per essentiam cujus sunt proprietates; alioquin per habitum scientie infuse Christus nullum objectum scientie & demonstrative cognosceret; subindeque talis habitus non esset scientia, sed intelligentia, seu habitus primorum principiorum, qui solum veritates indemonstrabiles & medio carentes attingit.

139 Colligitur quinto, Christum per scientiam infusam potuisse intelligere sine conversione ad phantasmata, vel cum conversione ad illa, pro voluntatis arbitrio.

Probatur: Causis habebat duplicem modum intelligendi, alterum commune Angelis & beatis, ut comprehensor, alterum commune hominibus, ut viator. Atqui per primum erat omnino independens a phantasmatibus; cum quia habebat species infusas a Deo, sicut Angeli; tum etiam quia habebat dominium supra suum corpus, ut beati: Ergo ex eo capite non debebat necessario uti phantasmatibus. Similiter ut viator habebat commune modum intelligendi cum aliis hominibus, utendo sensibus & phantasmatibus: Ergo ex eo capite poterat se convertere ad phantasmata, ut in ipsis rebus, velut in speculis & exemplis, videret que per scientiam infusam cognoscebat.

140 Confirmatur: Quia scientia per se infusa, est supernaturalis sit, fuit tamen in modo operandi proportionata nature humane, & modo naturali cognoscendi intellectus humani, qui est per discursum intelligere, potuit Christus illa uti discurrendo, ut precedenti corollario ostensum est: Atqui etiam modus conaturalis intelligendi anime corpori unitae, est intelligere speculariter phantasmata, & convertendo se ad illa: Ergo eadem ratione Christus potuit uti scientia, convertendo se ad phantasmata. Quod ut magis percipiatur, & argumento quod in contrarium fieri possit, occurritur.

141 Notandum est cum D. Thoma in 3. dist. 14. q. 1. art. 3. questio. 3. quod intellectus habet se ad phantasmata dupliciter: *Uno modo sicut accipiens a phantasmatibus scientiam, quod est in illis qui noniam scientiam habent secundum motum qui est a rebus ad animam. Alio modo secundum motum qui est ab anima ad res, in quantum phantasmatibus nititur quasi exemplis, in quibus inspicit quod considerat, cujus tamen scientiam prius habebat in anima.* Quamvis ergo scientia infusa anime Christi non possit primo modo a phantasmatibus dependere, cum ab illis non possit species accipere, eo quod species tali scientie deservientes habite sint per infusionem; bene tamen secundo modo, potuit enim Christus uti tali scientia, ponendo species super phantasmata, & in ipsis phantasmatibus objectam sensibile inspicendo, quod alias in ipso poterat per tales species cognoscere. Sicut ille qui potens aliquid objectum videre in seipso, voluntarie visum ad speculum applicat, illudque in speculo intuetur.

142 Colligitur sexto, Scientiam infusam anime Christi, non fuisse semper in actuali consideratione omnium objectorum, ad qua poterat se extendere, immo nec fuisse necessario cum cognitione actuali alienis objecti conjunctam, quia licet talis habitus esset supernaturalis & infusus, fuit tamen voluntati humane Christi, quantum ad usum subiectus; eo modo quo habitus caritatis, licet sit supernaturalis, subditur tamen nostre voluntati quantum ad applicationem & usum, & quantum volumus, ita & anima Christi utebatur scientia infusa quando volebat, & per ipsam ea solum objecta considerabat, ad quorum considerationem illam applicabat.

143 Colliges septimo, Scientiam infusam anime Christi esse quidem superiorem scientia Angelorum, non solum quantum ad claritatem & certitudinem, sed etiam quantum ad numerum scitorum, cum per eam Christus cognoscat plura mysteria gratia, & futura contingentia, nec non occultas cordium cogitationes, que Angelis non revelantur, ut constat ex dictis art. 4. esse tamen scientie Angelice inferioriorem, quantum ad modum cognoscendi qui est naturalis anime humane, nempe modum cognoscendi per discursum, & per conversionem ad phantasmata ut ait S. Thomas art. 4. & quantum ad species quibus utitur; quia, ut idem S. Doctor art. 6. docet, species anime Christi infuse, sunt minus universales, quam species Angelis indite; quia sunt commensuratae intellectui humano Christi, qui non est ita perfectus sicut intellectus Angelicus.

DISPUTATIO XVIII.

De Scientia Christi acquisita.

Ad questionem 12. D. Thomae.

Postquam S. Doctor de scientia beata & infusa anime Christi differat, ut totum de scientia Christi tractatum perolverat, agit de scientia a Christo acquisita.

sita, circa quam pauca occurrunt, articulis sequentibus discutienda.

ARTICULUS I.

Utrum prater scientiam beatam, & infusam constituenda sit in anima Christi Domini scientia per se acquisibilis.

§. I.

Quibusdam pramissi conclusio affirmativa statuitur.

Notandum primo, quod scientia per se acquisibilis illa dicitur, que tametsi de facto a Deo aliquando infundatur (qualiter omnes scientias naturales fuisse Adamo in primo conditionis instanti infusas, docet D. Thomas I. p. q. 94. art. 3.) per se tamen & conaturaliter peti non possit repugnans essentialiter nostris actibus acquiri, vel licet possit de potentia absoluta illis effici, per se tamen & conaturaliter peti per infusionem haberi.

Notandum secundo: hic lumen nos inquirere, an in Christo fuerit scientia que per se & ex natura sua ab homine acquisibilis est. Utrum vero Christus eam per accidens habuerit per infusionem, sicut Adamus, vel illam de facto propriis actibus sibi comparaverit, sicut nos eam acquirimus, dicemus articulo sequenti. His pramissis, pro resolutione difficultatis propozita.

Dico breviter: Constituenda est in anima Christi Domini scientia ex genere suo acquisita. Ita communiter docent Theologi cum S. Thoma supra q. 9. art. 4. excepto Richardo; licet enim pro opposita sententia referatur D. Bonaventura, Scotus, Gabriel, & Durandus; illi tamen non negant dari in anima Christi Domini scientiam per se & ex genere suo acquisibilem, sed tantum volunt eam de facto non fuisse ab illo propriis actibus acquiribilem, sed per accideas ipsi infusam. Quidquid tamen sit de hoc.

Probatur primo conclusio hac ratione: Oportuit ut omnis potentialitas naturalis anime Christi conveniens, ad actum reduceretur, ut ex supra dictis patet: Sed anima Christi Domini est in potentia naturali ad scientiam per se acquisibilem, cum sit ejusdem speciei cum ceteris animabus, in quibus hujusmodi potentia invenitur: Ergo fuit in actum reducta, & consequenter habuit scientiam illam ex genere suo acquisibilem.

Confirmatur: Quia anima Christi est in potentia, ad scientiam beatam, qua intelligitur modo divino, & ad scientiam per se infusam, qua intelligitur modo angelico, fuerunt in ipsa scientia beata, & scientia infusa, tam naturalis, quam supernaturalis, ut supra ostensum est: Sed anima Christi est etiam in potentia ut intelligat modo humano: Ergo in ipsa constituenda est scientia ex genere suo acquisibilis, per quam modo humano intelligat.

Confirmatur amplius: Scientia Christi est in potentia intelligendum per conversionem ad superiora, recipiendo perfectionem ab illis, scilicet species impressas, infusas a Deo; est etiam in potentia ad intelligendum per conversionem ad inferiora, nimirum per species ab illis acceptas. Sed ut prima potentia compleatur, & ad actum reducat, ponitur in anima Christi scientia per se infusa naturalis & supernaturalis: Ergo ut secunda compleatur, & ad actum reducat, sunt in ipso constituende species per se acquisibiles ab objectis materialibus, & consequenter scientia ex genere suo acquisibilis, que vel in his speciebus consistit, vel illas supponit.

Probatur secundo conclusio: Potentia intellectiva Christi non minus perfecta fuit, quam eius voluntas: Sed voluntas Christi, preter virtutes per se infusas, habuit etiam per se acquisibiles, ut supra ostensum est: Ergo pariter potentia intellectiva Christi, preter scientiam per se infusam, habuit scientiam per se acquisibilem. Hac conclusio magis patebit ex dicendis articulo sequenti, ubi alias rationes quas tradit S. Thomas art. 4. adducemus, & exponemus.

§. II.

Solvuntur objectiones.

Obijcies primo: Omnia que Christus cognoscere potest per scientiam acquisitam, cognoscit per infusam, idque evidentiore & perfectiori modo: Ergo frustra in eo ponitur scientia ex genere suo acquisita.

Respondeo, concessa Antecedente, negando Consequentiam: ad perfectionem enim intellectus Christi spectat non solum omnia objecta cognoscere, sed etiam omni modo quo cognoscibilia sunt: unde sicut in anima Christi, preter scientiam beatam, qua res in verbo contempletur, ponitur scientia infusa, per quam illas extra verbum cognoscat, eoquod utroque modo ab ea cognoscibiles sint: ita quia res naturales, non solum per species a Deo infusas, sed



sed eam per species aphantasmaticas abstractas, cognosci possunt, debet in anima Christi, praeter scientiam naturalem insusam, poni scientia ex genere suo acquisibilis, quae per species aphantasmaticas abstractas objecta naturalia cognoscatur, praesertim cum modus ille cognoscendi sit maxime conaturalis animae Christi, utpote conjunctae humano corpori: ut enim docet D. Thomas 1. p. quest. 89. in corp. idcirco animae rationalis unitur humano corpori, ut ex unione ad illud fortior modum intelligendi per species acquisitas, & per conversionem ad phantasmata, qui est ipsi conaturalior.

10 Obiectis secundo: Dux formae solo numero distinctae non possunt esse simul in eodem subiecto: Sed scientia insusam naturalis (quam fuisse in Christo disp. praecedenti art. 1. docuimus) solo numero differre potest a scientia naturali acquisita: Ergo prima admissa in Christo, secunda ab eo excludi debet. Major est certa, nam in scientia Thomistarum, duo accidentia solo numero distincta, nequeunt in eodem subiecto existere. Minor vero in qua solum est difficultas, sic ostenditur. Differentia sumpta ex diversa causa efficienti, non est differentia specifica, sed tantum numerica, ut constat in homine ab altero homine genito, & Adamo immediate a Deo producto: Sed scientia Christi insusam primo conceptionis instanti, & scientia per se acquisita, distinguuntur solum penes causas efficientes, quia nimirum illa immediate a Deo fuit facta, illa vero acquisita propriis actibus, ut articulo sequenti dicemus: Ergo solo numero distinguuntur.

11 Respondendo negando Minorem, ad cuius probationem, distingo Majorem: Differentia sumpta ex diversa causa efficienti, per accidens inspecta ab effectibus, non est specifica, concedo Majorem. Per se inspecta ab illis, nego Majorem; & sub eadem distinctione Minoris nego Consequentiam; quia scientia insusam Christo, per se recipit ut causam efficientem, & scientia per se acquisibilis, per se recipit intellectum agentem ut causam specierum, & actus intellectus possibilis, ut causam efficientem habitus; & ideo non solo numero, sed specie distinguuntur.

12 Inhabis, Differentia penes causas efficientes non potest esse prima, nisi solum in formis quae a principio sumunt specificationem: Sed scientia sive sumpta pro habitu, sive pro speciebus, non specificatur a principio: Ergo differentia sumpta ex diversa causa efficiente, nequit prima esse inter scientias, sed ut per se petant causas efficientes diversas, debent supponi distinctae ex diversitate objectorum: Sed objectum scientiae insusae animae Christi, idem est cum objecto scientiae acquisitae, v. g. idem homo quem Christus per scientiam insusam cognovit, & per scientiam acquisitam: Ergo non petunt per se causas efficientes diversas, & consequenter non distinguuntur specie.

13 Respondendo ex Capreolo in 3. dist. 14. q. unica art. 3. ad 1. contra secundam conclusionem, concessa prima Consequentia, distinguendo Minorem subsumptam: Est idem utriusque objectum, materialiter, concedo Minorem formaliter, nego Minorem & Consequentiam. Nam distinctio formalis obiectiva, cum coincidentia materiali in objecto, sufficit ad distinctionem specierum, actuum, & habituum: licet autem eadem natura specifica, v. g. lapidis, per speciem insusam & acquisitam representetur, non tamen sub eadem ratione; nam species abstracta aphantasmaticus, illam representat per ordinem ad phantasmata; species autem insusam, sine tali ordine, & consequenter sub majori immaterialitate, representatur per speciem insusam, quam per speciem acquisitam; ex quo fit quod species per se insusam, universalior sit in representando, quam species acquisita per se; illa enim medum representat directe naturam quoad praedicata specifica, sed etiam omnia eius individua, secus autem species aphantasmate abstracta. Quae solutio sumitur ex D. Thoma supra q. 9. art. 4. ad 3. ubi inter habitum scientiae insusae, & habitum scientiae acquisitae, hoc statuit discrimen: quod iste acquiritur per comparationem humanae mentis ad phantasmata, ille vero est alterius rationis, utpote a superiori descendens in animam, non secundum proportionem phantasmatum. Quibus verbis distinguitur habitum scientiae per se insusae, ab habitum scientiae per se acquisibilis; per hoc quod objectum scientiae acquisitae, dicitur ordinem ad phantasmata a quibus verbis abstractum, objectum vero scientiae insusae sine dependentia aphantasmate attingitur.

ARTICULUS II.

An Christus scientias per se acquisibiles, propriis actibus sibi comparaverit, vel eas a Deo per infusionem receperit?

14 Quamvis apud Theologos certum & indubitatum sit, fuisse in Christo, praeter scientiam beatam, & insusam, scientiam per se & ex genere suo acquisibilem, dubitatur tamen de modo quo Christus hanc sibi comparavit: Plures enim existimant, illam per accidens fuisse Christo insusam divinitus, sicut & Adamo, ne aliquando

careret notitia clara naturali plurimorum objectorum, quae per talem scientiam perciperet: Ita docent D. Bonaventura, Scotus, Gabriel, & Durandus, articulo praecedenti relati, eamque tenent D. Thomas in 3. dist. 14. q. 3. art. 3. ut ipsemet fatetur hic art. 3. & supra q. 9. art. 4. Ex Recentioribus vero hanc sententiam sequitur Suarez hic disp. 30. sect. 2. assertens scientiam per se acquisibilem, insusam esse per accidens Christo, quantum ad habitum & species necessarias ad demonstrationem rerum faciendam, licet non quoad experimentalem cognitionem.

Probabilior tamen videtur sententia, quam retractata priori, tradit S. Doctor hic art. 2. & supra quest. 9. art. 4. ejusque Discipuli communiter amplectantur, nimirum Christum praedictam scientiam propriis actibus sibi comparasse, ne intellectus in eo maneret otiosus & frustraneus. Idem docent Vasquez, Becanus, Ragusa, Theophilus Raynaudus, & alii.

§. I.

Hae sententia ut probabilior eligitur.

15 Ico igitur: Christus scientiam per se acquisibilem, propriis actibus sibi comparavit, non vero eam solum a Deo per infusionem recepit.

Probat conclusio duplici ratione quam insinuat S. Doctor supra q. 9. art. 4. Prima sic potest proponi. Si Christus scientiam per se acquisibilem propriis actibus non acquisivit, sed eam solum per infusionem a Deo accepit, sequitur intellectum agentem Christi fuisse omnino otiosum & frustraneum: Sed hoc non est dicendum: Ergo nec illud. Sequela probatur: Proprium officium intellectus agentis est facere species intelligibiles actu, abstractendo eas aphantasmaticis, ut docent Philosophi in libris de anima: Ergo si intellectus agens animae Christi species aliquas non abstraxit aphantasmaticis, sed omnes Christus a Deo per infusionem accepit, erit omnino otiosus & frustraneus; frustra enim est id quod non habet propriam operationem, ut dicitur a. de celo textu 17. cum unumquodque sit propter suam operationem.

Hae ratio non solum probat fuisse in anima Christi species propriis actibus comparatas, sed etiam ipsam habitum scientiam: tum quia probabilis sententia non est quid distinctum ab ipsis speciebus; tum etiam quia licet admittatur illum esse quandam realitatem ab ipsis speciebus distinctam, tamen eadem videtur esse ratio de illa ac de speciebus, eo quod illa detur ad usum talium specierum; & quia conaturalis modus acquirendi habitum scientiae, est medianibus speciebus; eo quod habitus ille sit lumen quoddam intellectuale acceptum & derivatum ab objectis: objecta autem sensibilia in se actu non habent vim producendi habitum intelligibilem; quousque medianibus speciebus abstractis fiat actu intelligibilia, & sic ab illis educi possit virtus quae est lumen intelligibile tenens se ex parte intellectus.

Secunda ratio D. Thome ad hanc formam reducit. 17 Christo non solum sunt tribuenda omnes scientiae, sed etiam quolibet illarum secundum proprium & conaturalem modum habendi illas: sic enim non solum est perfectus per diversas scientias atque perfectiones, verum etiam & diversis modis. Sicut ergo Christus habuit scientiam beatam, secundum modum proprium illius, scilicet permanentem, & non tantum transiente, ut alicui in via haberent, & sicut habuit scientiam per se insusam secundum modum proprium illius, scilicet per infusionem: ita scientiam humanam, seu naturam suam acquisibilem, habere debuit modum humano, scilicet per acquisitionem, non vero eam solum perfusionem a Deo recipere.

Adde quod, cum Christus ad paupertatem nostram ultro ac volens se demiserit, omnia quoque nobis conaturalia, quae statum ejus non dedecere, admittit: Sed conaturalis homini acquirenda scientia naturalis modus, est per actus proprios, & per abstractionem specierum aphantasmaticis, eam sibi comparare: Ergo Christus hoc etiam modum scientias per se acquisibiles sibi comparavit, atque ita vere in eis profecit, quod voluisse S. Lucam, cum dixit Christum profecisse sapientia, & etate, docet S. Ambrosius lib. de Incarnationis Dominicae Sacramento cap. 7. his verbis: Quomodo profecisset sapientia Dei? docet se ordo Verborum, profecisse etatis, & profecisse sapientiae, sed humana est. Ideo autem ante praemisit (sic enim ipse legit: Jesus profecit ante & scientia, non ut cum Hieronymo vulgata verit, sapientia & etate) ut secundum hominem crederet dictum; etas enim non divinitatis, sed corporis est: ergo si profecisset etate hominis, profecisset sapientia hominis. Idem sentit S. Thomas hoc art. 2. ad 1. ubi sic habet: Tam scientia insusam animae Christi, quam scientia beata fuit effectus agens infinitae virtutis, qui potest simul totum operari, & ita in natura scientia Christi profecit, sed a principio eam perfectam habuit. Sed scientia acquisita causatur ab intellectu agente, qui non simul totum

eam operatur, sed successivo. Et ideo secundum hanc sententiam Christus non a principio servit omnia, sed paulatim, & post aliquod tempus, scilicet in perfecta etate, quod patet ex hoc quod Evangelista simul dicit eum profecisse scientia & etate.

19 Eadem explicationem innuit Augustinus lib. 3. contra Maximin. cap. 23. his verbis: Legimus quidem quod Jesus profecit etate & sapientia, & gratia Dei erat in illo: Secundum formam hominis, quam pro nobis accepit ex nobis, non secundum formam Dei, in qua non alienum arbitratum est, esse aequalis Deo. Veritatem etiam in ipsa forma hominis legimus cum etate & sapientia profecisse; non tamen, ut ex non bono bonus fieret vedendo morasse. Beda etiam, citans Glossa in eundem Luca 2. locum, sic ait: Sicut est carnis aetate profecere, sic est anima rationalis sapientia & gratia profecere. Non quod hoc eguerit susceptor Deus, praesertim cum supra plenus fuisse sapientia describitur, sed quia hoc pro remedio nostrae salutis, suscipere elegit, ut cum caro & anima rationalis a Deo suscipitur, utroque pariter salvetur.

§. II.

Solvuntur objectiones.

16 Contra praecedentem conclusionem plures solent fieri instantiae, quas breviter hic proponemus ac diluimus. In primis obicitur, primo parenti a principio infuse fuerunt per accidens scientiae omnes naturales, quia fuit doctor humani generis, ut docet S. Thomas 1. p. q. 94. 3. & probat duplici ratione, quam in Tractatu de homine & variis status naturae humane disp. 1. art. 2. exposuimus: Sed etiam Christus Dominus fuit doctor & preceptor totius generis humani, dicitur enim Isaia 30. Et non facies cavilare a se dolentes tuum, & erunt oculi tui videntes praecipientem tuum. Et c. 55. Ecce statim populus dedit eum, ac praecipientem gentibus: Ergo etiam Christus fuerunt infuse per accidens omnes scientiae naturales.

20 Secundo, Christum nulla decuit ignorantia, aut privatio scientiae naturaliter debita, etiam pro brevissimo tempore: At si ab initio conceptionis, non habuisset scientias omnes naturales per infusionem a Deo, sed eas paulatim propriis actibus sibi comparasset, habuisset per aliquod tempus imperfectionem ignorantiae in ipsa naturali scientia, & privationem illius: Ergo idem quod prius.

21 Tertio, Decebat Christum semper fuisse plenum scientia, juxta illud Joann. 1. Viximus gloriam ejus quasi unigeniti a Patre, plenum gratia & veritate: At si non habuisset per infusionem in primo instanti fuisse conceptionis scientias omnes naturales per accidens insusam, non semper fuisset plenus scientia & veritate: Ergo illas hoc modo recepit a Deo, non vero propriis actibus acquisivit.

22 Quarto, Christus Dominus per scientiam naturalem cognoscebat substantias separatas, & substantiam animae suae, eo modo quo anima separata se ipsam cognoscit: At haec non potuit cognoscere per species aphantasmaticas abstractas, cum species illae, utpote per sensus acceptae, non habeant vim representandi perfecte substantiam ullam spirituales, & incorporam: Ergo ille cognovit per species insusam a Deo. Quod si habuit species insusam respectu substantiarum immaterialium, cur non etiam respectu rerum materialium? De utriusque enim videtur esse eadem ratio.

23 Quinto, Si scientia naturalis Christi, non fuit ei per accidens insusam, sed propriis actibus, fuit ministerio sensuum, & per abstractionem intellectus agentis aphantasmaticis acquisita, fuit valde diminuta & imperfecta, & inferior ad scientiam Adami: Sed hoc dici nequit: Ergo nec illud. Sequela probatur: Plura sunt objecta naturalia quae a sensibus hominum sunt remotissima, ut omnes species piscium qui sunt in profundo maris, omnia quae generantur intra viscera terrae, vel quae in aere fluit intra vel extra nubes, omnes stelle caeli, & similia: quomodo ergo illa fuerunt sensibus Christi objecta, ut propriis eorum species & cognitionem hauriret? Nam quod ministerio Angelorum non fuerit adducta sensibilibus ad Christum, vel Christus ad illa, manifestum videtur: quomodo enim omnes stelle caeli, omnes pisces maris, omnia terra metalla, ad Christum potuerunt adduci, & ei representari? Vel quomodo ipse Christus ad omnia profunda maris & terrae, & ad caeli immensitatem, ministerio Angelorum adduci potuit, ut illa omnia objecta perstreretur, & illorum species per sensus hauriret. Haec sane videtur fictitia, & miraculis superflua plena. Ergo si scientia naturalis Christi non fuit ei per accidens insusam, sed per species ministerio sensuum acceptas comparata, fuit valde imperfecta & limitata, nec se extendit ad individua omnia & objecta naturalia quae in eorum natura existunt.

24 Sexto, Non decuit Christum acquirere scientiam per disciplinam ab alio homine, sive Angelo docente: Ergo neque ab ipsis rebus species abstrahendo, quia sic ed-

diceret a rebus, & penderet ab illis, ut discipulus a magistro.

Septimo, Christus habuit virtutes morales per accidens 25 insusam a Deo in primo instanti conceptionis, ut supra disp. 12. art. 4. docuimus: Ergo idem dicendum est de virtutibus intellectualibus, praesertim de ipso habitu scientiae naturalis. Consequentia videtur legitima, tum ex paritate rationis; tum etiam quia carentia scientiarum naturalium ad tempus, non minus videtur derogare perfectioni animae Christi, quam carentia virtutum moralium.

Denique: Si Christus propriis actibus sibi debuerit comparare scientiam per se acquisibilem, maxime quia alias inde sequeretur, quod intellectus agens esset frustra in ejus anima, eo quod caretet propria operatione, quae est abstrahere species intelligibiles aphantasmaticis, ut dicitur Divus Thomas hic art. 2. ut supra q. 9. art. 4. Sed haec ratio non videtur efficax: Ergo ruit praecipuum fundamentum nostrae sententiae. Minor probatur: Tum quia intellectus agens fuit in Adamo, & in Beatis remanet, & tamen non frustra, licet non abstrahat species aphantasmaticas; sicut etiam nutritiva non est frustra in Beatis, licet non reducat in actum. Tum etiam, quia officium intellectus agentis non est solum abstrahere species aphantasmaticas, sed etiam illustrare principia, ut illis utatur intellectus; & ita licet non servierit in Christo pro primo officio abstrahendi species aphantasmaticas, potuit servire pro secundo, nimirum pro illustratione principiorum.

27 Haec sunt praecipua adversae sententiae fundamenta, quae (ut consideranti patet) solum probant Christum per scientiam aliquam insusam fuisse omnes naturales a principio conceptionis cognovisse; unde non militat contra nostram sententiam, quae id non negat, sed duplicem in Christo scientiam insusam admittit; unam naturalem, per quam objecta naturalia per species a Deo insusam modo angelico cognoscit: aliam supernaturalem, qua non solum res naturales, sed etiam entia supernaturalia, cogitationes cordium, futura contingentia, & mysteria gratiae, ipsumque ineffabile Trinitatis mysterium, extra Verbum contemplantur, ut in disputatione praecedenti fuisse declaravimus. Addimus tamen, praeter duplicem illam scientiam insusam, admittendam esse in Christo aliam scientiam naturalem, quam per actus proprios, seu per abstractionem specierum aphantasmaticis acquisivit; tum ne intellectus agens frustra in eo ponatur, tum etiam ut objecta naturalia cognoscat omnibus modis quibus cognoscibilia sunt, omnique potentialitas tum naturalis tum obiectualis animae ejus explatur, ut supra ostensum est. Unde

Ad primum respondeo, conveniens fuisse quod scientiae 28 omnes per se acquisibiles infunderentur Adamo, non vero Christo, ob triplicem rationem. In primo enim, cum Adam fuerit conditus a Deo in etate perfecta, ut caput & doctor generis humani, atque omnium rerum dominus, conveniens fuit ut statim haberet illas scientias quae in homine illius aetate essent necessariae ad illa munera exercenda: Christus autem, licet sit caput & doctor totius Ecclesiae, atque omnium dominus; quia tamen genitus fuit in etate infantili, ita ut non statim ut vir perfectus in hoc mundo converseretur, non oportuit ut scientiam suapte natura acquisibilem, per infusionem ab initio acciperet, sed paulatim ut ceteri homines per sensus eam sibi comparare debuit.

Secundo, Adam datus est doctor toti generi humano in 29 naturalibus, & ideo oportuit quod a principio suae productionis haberet omnes scientias naturales, sicut & quod statim esset perfectus homo, quantum ad corporis quantitatem & dispositionem; At Christus datus fuit doctor mysteriorum gratiae, non rerum naturalium; dicit enim Apostolus 1. Corinth. 15. Primus homo de terra terrenus, secundus homo de caelo caelestis, & ipsa veritas ait Joann. 3. Qui de terra est, de terra loquitur, qui de caelo venit, super omnes est, & quod vidit, & quod vidit, super omnes est. & ideo oportuit ut Christus statim haberet scientiam insusam mysteriorum gratiae, non vero scientiam per se acquisibilem rerum naturalium, sicut neque perfectam corporis quantitatem.

Tertio, Adamus visione beatifica crearet, & mox a creatione privandus erat scientia per se insusam, unde conveniens fuit, ut statim ab initio naturalem scientiam insusam per accidens reciperet, non modo juxta mensuram proportionatam aetati in qua a Deo conditus est, sed etiam quantum ferebat necessitas, quae & ipse & omnes ejus posterii laborarent, nisi eo Dei beneficio liberaliter fuisset preventus. At in Christo nulla talis viguit necessitas, & assurgens ei scientia insusam atque beata abunde supplere potuit omnem usum scientiae naturalis insusae per accidens.

Ad secundum, concessa Majori, nego Minorem: Tum 31 quia Christus ab initio conceptionis per scientiam per se insusam omnia objecta naturalia cognovit, ut disp. praecedenti art. 2. ostensum est. Tum etiam, quia carentia scientiae







Ita ab inferis resurgente, quia per resurrectionem manifestata est aeterna generatio Verbi terminantis humanitatem.

13 Eodem modo intelligi debent haec verba Christi Matth. 11. Omnia mihi tradita sunt a Patre meo: nam per ly omnia, vel intelligenda est salus omnium fidelium, qua Christo ut homini a Patre commissa est, ut interpretatur Theodoretus. Vel, ut alii exponunt, Christus h's verbis salum significare volebat, quod ei, in quantum Deo, contulit omnia Patre aeternis, quia genuit eum omnipotentem, sicut ipse Pater est omnipotens.

14 Denique haec & similia loca intelligi & explicari possunt, de morali quadam communicatione divina omnipotentiae, qua Christo ut homini, ratione unionis hypostaticae facta est: quamvis enim nullam potentiam physicam, operum omnium supernaturalium principativam, Christi humanitati tribuimus, in ea tamen agnoscimus moralem quandam potentiam, omnium miraculorum patriviam, sitam in potestate ad libitum exercendi opera supernaturalia, per Dei omnipotentiam sibi ad id assistentem, semperque paratam exequi quod Christus optaret. Neque enim, ut aliis Sanctis potestas miraculorum transeuntur quandoque conceditur, in Christo transeuntur tantum exiit; sed (ut art. sequenti §. 3. ostendimus) Christo hac potestas natura sua transiens, ad modum habitus inerat, & permanens; ideoque semper Deus paratus erat ad Christi nutum exequi omnia miracula quae consentanea ad finem Incarnationis facere cupiebat. Unde Joann. 11. Christus mox Lazarum suscitaturus, ita Patrem alloquitur: Ego autem sciebam, quia semper me audis. Et Matth. 9. Ut autem scieatis, quia Filius hominis habet potestatem in terra dimittendi peccata, tunc ait paralitico: Surge, tolle lectulum tuum, & hinc eam Bassilius Seleucia orat. 33. in illa insigni expressione miraculi multiplicatorum a Christo paratum, ita rem manibus Christi tribuit, de quibus ait es floruisse panes inarvato, & absque vultu sudore partes, & edulo agro, arva, mola, clypeo, ut tamen statim subdat, causam multiplicationis fuisse: quis aderat creator; & praesens erat ad nutum humani Christi voluntatis Deus regens, & verbo virtutis sua pertinet omnia.

ARTICULUS II.

An humanitas Christi, seu Christus ut homo, instrumentaliter physice, vel solum moraliter, ad productionem gratiae, & miraculorum, aliorumque effectuum supernaturalium concurrat?

15 Solum hic est quaestio de causalitate instrumentali, ostendimus enim in Tractatu de gratia disp. 4. art. 1. contra Medinam & Cabreram, Christum, in quantum hominem, non esse causam principalem gratiae sanctificantis, sed illius productionem solum Deo in causa principali tribui posse. Certum est etiam & indubitatum apud Theologos, Christum ut hominem, esse causam moralem gratiae sanctificantis & miraculorum, aliorumque operum supernaturalium quae ad finem Incarnationis conducunt; cum omnes illos effectus de condigno mereantur. Unde solum difficultas est de concursu physico instrumentalium, an illum habuerit Christi humanitas circa miracula & gratiam sanctificantem? Nam circa hoc variis sunt Auctorum sententiae.

Prima negat Christum ut hominem esse causam physicam illius gratiae dependenter ab eius meritis, etiam post ipsius conceptionem collata, idemque docet de operibus miraculosis, & aliis effectibus supernaturalibus, consequenter ad executionem Incarnationis a Deo factis. Ita ex antiquis Theologis Altiifiodorensis, Albertus Magnus, D. Bonaventura, & ex recentioribus Vasquez, ex Thomisti vero Melchior Cano.

Secunda praecedenti extreme opposita asserit humanitatem Christi non tantum moraliter, sed etiam physice, causare gratiam, operationes miraculosas, aliosque effectus supernaturales, non solum productos post ejus Incarnationem, sed etiam ante illam, tempore antiquorum Patrum. Hanc sententiam non improbabilem reputat Medina, pro quo refert Capreolum.

Tertio distinctione utens circa humanitatem Christi, etiam consequenter ad executionem ipsius assumptionis consideratam, dicit quod quando fuit in terris, concurrat physice instrumentaliter ad productionem gratiarum in illis quos Christus immediate iustificavit, quales fuerunt Magdalena, Mattheus, & alii, idemque docet de miraculis qua per seipsum operatus est adhuc vivens vita mortali; negat tamen ipsum modo in calis existentem concurrere physice, etiam instrumentaliter, ad effectus supernaturales qui sunt in Ecclesia militante. Ita Andreas Vega lib. 7. in Trident. cap. 14.

Verba sententia sequentibus conclusionibus statuitur.

Dico primo: Humanitas Christi, sive Christus ut homo, fuit causa solum moralis gratiae ante executionem Incarnationis antiquis Patribus collata.

Hanc conclusionem omnino certam existimo, eamque hac ratione evidenti & plane demonstrativa ostendo. Res adhuc futura, quando futura est, nequit esse causa physica alicuius effectus: Sed ante Incarnationem humanitas Christi erat adhuc futura: Ergo non fuit causa physica, sed duntaxat moralis, gratiae tunc collatae antiquis Patribus. Minor constat, Major probatur. Res adhuc futura nequit physice operari, cum operari physice, praesupponat esse sive existere physicum suae causae: Ergo nec esse causa physica, ut magis declarabitur §. sequenti, in responsione ad quintam objectionem.

Dico secundo: Humanitas Christi, sive Christus ut homo, fuit causa instrumentaliter physica gratiae, miraculorum, aliorumque effectuum supernaturalium, quae immediate per seipsum operatus est, quando erat in hac vita mortali.

Probatur primo ex Scriptura, dicitur enim Joann. 20. quod Christus insufflavit Apollis, & dixit eis, accipite Spiritum Sanctum: Sed conserre Spiritum Sanctum, atque adeo gratiam, insufflavendo, est eam physice causare, ut constat: Ergo Christus homo fuit causa physica instrumentaliter gratiae quam conculit quando erat in hac vita mortali.

Idem dicendum de miraculis: Scriptura enim testatur, Christum plura miracula operatum esse per contactum suae mundiferae carnis, ut cum sanavit caecum a nativitate, linendo ipsius oculos, & surdum, digitis mittendo in aures ejus; Item Lazarum resuscitavit, dicendo & clamando: Lazare veni foras, ut inuenerit Verbum Divinum tribuere suae voci virtutem instrumentalem ad illum resuscitandum, juxta illud Psalm. 67. Dabis vocem suam vocem virtutis. Denique Luca 6. de Christo dicitur, quod virtus de illo exibat, & sanabat omnes. Et ipsemet Christus Luca 8. postquam mulierem sanguinis fluxu laborantem curasset, dixit: Novum virtutem de me exiit. Quod non potest explicari de virtute morali, quae cum merum sensus rationis sit, non potest dici, nisi valde improprie & metaphorice, exire de corpore.

Probatur secundo conclusio ex Concil. Ephes. 1. can. 11. ubi definitur carnem Christi esse vivificatricem, propter unionem ad Verbum, quod vitam habet divinam: Sed caro Christi nequit esse vivificatrix secundum moralem causalitatem, sive secundum rationem meriti; utpote cum tota ratio meriti ad animam pertinet: Ergo solum potest dici vivificatrix, ratione virtutis instrumentalis physice, ex unione ad Verbum ipsi collatae. Unde notat Cyrillus lib. 4. in Joan. quod Christus in exsuscitandis mortuis, non solum verbo atque imperio ut Deus utebatur, verum etiam carnem suam quasi cooperatricem nonnunquam adhibebat, ut constat Luca 7. cum filium unicum viduae Naim resuscitavit; narrat enim Evangelista, quod Christus ut illum ad vitam revocaret, necesse fuit seipsum locutum, ut nimirum ostenderet: inquit Cyrillus) carnem quoque suam, quam niam Verbo conjuncta erat, vivificam esse. Euthimius etiam in cap. 7. Luca, miraculose illius adolescentem resuscitatum, & virtutem illam vivificantem carnis Christi perpendens, ait: Quemadmodum ferrum quod in igne aliquo tempore permansit, habet ignis operationes: ita quoque sancta ipsius Christi caro divinitatis unita, qua divinitatis sunt operatur. Quod exemplum veram & physicam causalitatem humanitatis Christi in opera miraculosa ab eo elicit, aperte significat. Ex quibus patet, quam falso Vasquez asseruerit, nunquam SS. Patribus in mentem venisse, Christi humanitatem physice concurrere ad productionem gratiae & miraculorum.

Hanc etiam conclusionem fidenter omnes rationes praesentibus addenda: si enim humanitas Christi nunc existens in calis, & sedens ad dexteram Patris, est instrumentum non solum morale, sed etiam physicum, ad causandam gratiam, & paranda miracula, a fortiori id ei competebat, dum exiebat in terris, in ordine ad effectus miraculosos, quos tunc operabatur, & gratiam quam tunc conferbat. Unde

Dico tertio: Humanitas Christi, non solum dum ipse existebat in terris, sed etiam modo dum existit in calis, est organum & instrumentum physicum divinitatis, ad causandam gratiam, & paranda miracula. Probatur primo ex D. Thoma, qui variis in locis agnoscit in humanitate Christi duplicem causalitatem ad productionem gratiae & miraculorum, unam per modum meriti & impetrationis, alteram per modum efficientiae. Ita expresse docet in hac parte quaest. 8. art. 1. ad 1. ubi ait quod adiones Christi fuerunt nobis salvatras, utpote gratiam

Solvuntur objectiones.

Obicies primo contra primam conclusionem: Humanitas Christi potuit antequam existeret, esse causa physica instrumentalis productionis gratiae, miraculorum & aliorum effectuum supernaturalium; Ergo de facto fuit instrumentum physicum Dei, ad producendum illos effectus. Consequentia patet, si enim hoc sit possibile, ad dignitatem humanitatis Christi videtur pertinere, subindeque non ei denegandum est, ut supra arguebamus. Antecedens vero probatur: Res praeterita, v. g. passio Christi, potest esse, immo de facto est causa instrumentaliter physica productionis gratiae quae nunc confertur, & omnis operationis miraculose quae modo fit: Ergo similiter id potest fieri futura, subindeque humanitas Christi antequam existeret, potuit esse causa physica instrumentalis effectuum supernaturalium; res enim praeterita non magis existentiam habet, quam futura.

Respondet negando Antecedens, & ad ejus probationem, concessio Antecedente, negando consequentiam, & paritatem: Ratio vero discriminis est, quia res praeterita, quamvis non amplius in seipsa existat, potest tamen remanere existens, in sua virtute, sive in aliquo suo effectu; sicut de facto remanet existens passio Christi in cicatricibus vulnerum humanitatis Christi: res autem futura non potest dici remanere in aliquo suo effectu, utpote cum nullus sit talis effectus, quia omnis effectus praesupponit existentiam suae causae, vel praeteritam, vel praesentem.

Obicies secundo contra secundam conclusionem: D. Thomas in 3. dist. 16. quaest. 1. art. 3. dicit expresse nullam fuisse virtutem in Christi anima ad immutandum legem aut cursum naturae, sive ad paranda miracula, nisi per modum orationis, aut intercessionis: Ad haec causalitas non est physica, sed moralis, ut constat: Ergo censet D. Thomas, Christum ut hominem non fuisse causam physicam, sed solum moralem, illorum miraculorum quae edidit dum in terris exiebat.

Respondet Cajetanus hic art. 2. quod Auctor doctor seipso correxit illud quod in sententia docuerat, cum in isto articulo clarissime concedat humanitati Christi ut unitae Verbo Divino, & ex unione ad illud, vim instrumentalem ad omnes immutationes miraculosas, praeterquam ad annihilationem, & idem est de creatione.

Verum necesse non est ad hanc solutionem recurrere, cum sine violentia litterae ille locus dupliciter expositi possit. In primis enim dici potest D. Thomam non loqui ibi de virtute ad faciendum miracula tam principali quam instrumentaliter, sed solum de principali. Unde sensus verborum ejus solum est, quod nulla virtus fuerit in Christi anima ad principaliter paranda miracula, nisi moralis per orationem, aut intercessionem, cum quo tamen factum quod habuerit insuper virtutem physicam, non quidem principalem, sed instrumentalem ad illos effectus.

Vel aliter potest exponi ille locus, juxta doctrinam quam idem S. Doctor tradit hic art. 3. in corp. ubi ait, quod anima Christi potest dupliciter considerari, uno modo secundum propriam naturam & virtutem, & hoc modo sic non poterat immutare exteriora corpora a cursu & in ordine naturae, ita & non poterat immutare proprium corpus a naturali dispositione, quia anima habet secundum suam naturam determinatam proportionem ad proprium corpus. Alio modo potest considerari anima Christi, secundum quod est instrumentum unitum Verbo Dei in persona, & sic subdebetur ejus voluntati totaliter dispositio proprii corporis. Ex qua doctrina facile intelligitur testimonium adductum ex tertio libro sententiarum, exponendum enim est de humanitate Christi secundum propriam naturam accepta, si enim solum habet posse ad paranda miracula per modum orationis & intercessionis concurrere, in quo convenit cum Sanctis, qui hoc solum modo ad opera miraculosa ordinarie concurrunt: si tamen consideretur humanitas Christi, ut conjuncta Deo, sic potest operari, & de facto operatur instrumentaliter physice plura opera miraculosa.

Obicies tertio: Ex miraculis quae Christus fecit dum existebat in terris, quaedam patrae sunt per creationem, & alia per suspensionem concursus divini, quando enim in ejus baptismo miraculose apparuit columba, si vera columba fuit, per creationem producta est: obscuritas vero illa miraculosa Solis, quae in ejus passione accidit, per subtractionem divini concursus facta fuit. Deus enim tunc denegavit Solum concursum ad illuminandum, & idem videtur dicendum de illo miraculo quod Christus fecit, cum super aquas ambulavit; illum enim non aliunde contigisse videtur, nisi ex subtractione divini concursus, quem tunc aquis denegavit, ne gravitaret, & descenderet. Sed neque ad creationem, neque ad suspensionem divini concursus, potest humanitas Christi tantum instrumentum physicum assumi, ut decaet communiter

gratiam in nobis causantes, & per meritum, & per efficientiam. Ex quaest. 43. art. 6. in corp. & in resp. ad 3. asserit quod passio Christi secundum quod comparatur ad divinitatem ejus, agit per modum efficientiae, in quantum vero comparatur ad voluntatem animae Christi, agit per modum meriti. Item quaest. 94. art. 3. ait quod Christus quatenus homo operatur ad interiores effectus sacramentorum & meritorie & efficienter, sed instrumentaliter. Denique in hac q. 13. art. 2. in corp. docet quod humanitas Christi, in quantum est instrumentum Verbi sibi uniti, habet instrumentalem virtutem ad omnes immutationes miraculosas faciendas, non tamen respectu creationis. Ex quo sic licet argueat: In eo sensu affirmat D. Thomas humanitatem Christi esse instrumentum ad omnes immutationes miraculosas, quo negat esse instrumentum ad creandum: Sed non negat eam esse instrumentum morale, sed physicum, ad creandum, cum manifestum sit Christum ut hominem posse per orationem impetrare a Deo creationem unius anime, vel Angelis: Ergo affirmari illam esse non solum instrumentum morale, sed etiam physicum, ad omnes immutationes miraculosas.

Probatur secundo conclusio ratione: Humanitas Christi non solum dum ipse exiebat in terris, sed etiam modo dum existit in calis, est instrumentum & organum divinitatis in ordine ad causandam gratiam, ad paranda miracula, & effectus supernaturales producidos: Sed non instrumentum morale: Ergo physicum. Major est expressa Concilii Ephesini can. 9. & 11. Lateranensis sub Martino I. consulti. 3. & 5. nec non passim SS. Patrum. Minor vero probatur: Si humanitas Christi esset instrumentum morale gratiae, & miraculorum, deberet posse assignari aliquid supra ipsum quod esset causa moralis principalis horum effectuum: At nihil hujusmodi est assignabile, Deus enim qui solus superior existit humanitati Christi, non potest esse causa moralis sive meritoria, etiam principalis: Ergo humanitas Christi non potest dici instrumentum morale ad causandam gratiam, & paranda miracula, aliosque effectus supernaturales producidos.

Probatur tertio: Si humanitas Christi nunc existens in calis, non physice, sed moraliter tantum, gratiam, miracula, aliosque effectus supernaturales causaret, non deberet dici instrumentum Deitatis, sed solum Filii, in ordine ad illos effectus: Atqui vocatur a multis ex Patribus instrumentum vitae organum Divinitatis, nimirum a D. Ambrosio serm. 90. & 91. Damasceno lib. 3. de fide cap. 5. & aliis: immo Scriptura esse appellat brachium & manum Dei: Ergo &c. Sequela Majoris probatur: Solus Filius, non vero Pater, subindeque neque divinitas, concurrunt moraliter ad gratiam & miracula, orando videlicet, & merendo; non enim potest dici quod Pater aut Spiritus Sanctus aliquid nobis meruerit: Ergo si humanitas Christi, non physice, sed moraliter tantum ad illos effectus concurrat, non erit instrumentum divinitatis, sed solum Filii, in ordine ad illos.

Quarto suaderi potest conclusio ratione probabili: Conveniens & congruum est concedere humanitati Christi omnem dignitatem & praerogativam, quae muneris Redemptoris, & capitis Ecclesiae non obest: & aliunde contradictionem non implicat: Sed virtus instrumentalis physica ad causandam gratiam, & paranda miracula, non obest, sed potius congruit muneris Redemptoris, & capitis Ecclesiae, & nullam involvit repugnantiam: Ergo humanitati Christi denegari non debet. Major patet, hac enim ratione utuntur communiter Theologi ad probandum Christum a primo conceptionis instanti debuisse habere plenitudinem gratiae, virtutes omnes, & dona, scientiam beatam, & infusam, aliaque charismata gratiarum. Minor vero quoad secundam partem ex solutione argumentorum constabit, & potest etiam suaderi ex eo quod non major videatur esse repugnantia quod humanitati Christi communicetur vis instrumentalis & supernaturalis ad causandam gratiam, & paranda miracula, quam quod ignis inferni & purgatorii virtutem instrumentalem ad torquendos & alligandos demones, & affligendas ac purgandas animas a Deo recipiat. Quantum vero ad primam partem manifeste videtur, major enim est dignitas in Redemptore redimere, causandam simul dignitatem & moraliter gratiam, quam solum moraliter; & ratio capitis Ecclesiae perfectiori modo convenit Christo, si non solum morale, sed etiam physicum influxum in membra habeat.

Hanc conclusionem probat etiam omnia argumenta, quibus Thomista in Tractatu de sacramentis ostendunt Sacramenta nova legis instrumentaliter physice causare gratiam; cum enim Sacramenta sint instrumenta separata, & humanitas Christi instrumentum conjunctum divinitatis & personae Verbi; & quod instrumentis separatis competit, congruentius conveniat instrumento conjuncto, si Sacramentis nova legis competat influxus physicus causativus gratiae, a fortiori conveniet humanitati Christi.



Thomista: Ergo sicut respectu illorum miraculorum, non potuit humanitas Christi esse instrumentum physicum, sed tantum morale.

31 Respondeo negando Majorem, ad ejus primam probationem, seu primam exemplum quod adducitur in contrarium, dicendum est, columbam illam quae apparuit in Jordane dum Christus baptizaretur, factam fuisse ex praecipiente materia aeris, vel alterius elementi, atque adeo per creationem non fuisse productam. Ita colligitur ex S. Thoma infra q. 39. art. 7. in fine corporis, ubi exponens modum quo potuit Deus columbam illam formare, ait ex Augustino: Non erat difficile verum corpus columbae sine aliarum columbarum ministerio figurare, sicut non fuit ei difficile verum corpus in utero Mariae sine virili semine fabricare, cum creatura corporea, & in visceribus semper ad formandum hominem, & in isto mundo ad formandum columbam, imperio Domini voluntateque servaretur. Ex quibus patet exillimare S. Doctorem cum Augustino quem sequitur, sic fuisse formatam illam columbam, sicut formatum fuit corpus Christi in visceribus B. Virginis, atque adeo illam non fuisse creatam, sed ex praesistente aere vel alterius elementi materia productam.

32 Ad secundum exemplum dicendum abtentionem solis in morte Christi, non fuisse per subtractionem concursus divini, sed per interpositionem Lunae inter Solem & terram, ut ex Dionysio in Epist. ad Polycarpum docet S. Thomas infra q. 44. art. 2. ad ubi quatuor vel quinque miracula in tali eclipsi contigit observari, praeterquam ibidem sententiam Dionysii opinionem Origenis, existimantis illam abtentionem provenisse ex positione alicujus densissimae nubis inter Solem & terram: Quod etiam, inquit, alii Astrologi ubique terrarum tunc existentes crediderunt, quia non fuerunt solliciti de observanda eclipsi, quia tunc tempus non erat, unde illam abtentionem ex aliqua passione aeris accidere putaverunt. Sed in Aegypto ubi raro nubes apparent, praeter aeris serenitatem, personae est Dionysius, & scilicet ejus, in praedicta circa illam abtentionem observaverunt.

33 Ad tertium exemplum similiter dico, miraculum illud quod Christus fecit, cum super aquas ambulavit, non contigit ex subtrahitione divini concursus, quem tunc Deus aquis denegaverit, ne gravitaret, sed ex eo quod corpori Christi fuit tunc communicata dos agilitatis per modum transiensis, qualiter etiam redundavit ex gloria animae ad corpus in transfiguratione claritas per modum passionis transiensis, ut docet S. Thom. infra q. 45. art. 2. his verbis: Ad corpus Christi in transfiguratione derivata est claritas a divinitate & anima ejus non per modum qualitatis immanscentis, efficientis ipsum corpus, sed magis per modum passionis transiensis, sicut cum aer illuminatur a sole. Unde ille fulgor tunc in corpore Christi apparuit, miraculosus fuit, sicut & hoc ipsum quod ambulavit super undas maris.

34 Obijcit quarto contra tertiam conclusionem: De ratione instrumenti physici est, ut contingat subjectum in quo debet recipi ejus effectus, est enim indilantia localis, seu contactus physicus, in omni agente physico, conditio necessaria ad agendum. Sed humanitas Christi modo in caelis exiens, non contingit subjecta in quibus produciuntur gratia, vel circa qua in terris operationes miraculose fiunt, ut constat: Ergo non concurrunt instrumentaliter physice ad illos effectus. Eadem est difficultas de miraculis, quae Christus edidit, dum esset in terris; non enim physice contingebat Christus omnes homines quos miraculose sanavit, vel mortuos quos ad vitam revocavit: nam Matth. 8. sola voce sanavit servum Centurionis absentem, Joann. 4. sanavit restituit filium Reguli distantem, & cap. 11. voce revocavit animam Lazari existentem in Lybbo, quo vox illa pertingere non potuit.

35 Respondeo primo, distinguendo Majorem: De ratione instrumenti physici est ut contingat subjectum in quo debet recipi ejus effectus: si sit instrumentum naturale, vel artificiale, concedo: si sit instrumentum supernaturale, & divinae virtutis, nego. Hoc enim inter instrumenta primi & secundi generis intercedit discrimen, quod illa debent necessario contingere subjectum in quo effectus ipsorum recipitur, non vero ista: terra enim verbi gratia aut dolabra debet contingere lignum, in quo ab arte debet introduci forma artis, & in illud ejus virtutem aut motionem deferre; sacramenta vero & alia divinae virtutis instrumenta, non debent necessario physice contingere subjectum in quo illorum effectus produciuntur. Unde D. Thomas 2. 2. quest. 18. art. 1. ad 1. docet Deum posse elevare interierem hominis operationem ad physice paranda miracula in re externa & dilanti. Et 1. p. quest. 64. art. 4. ad 2. asserit demones in aere illo detentes, torquentur ab igne inferni, asseritque Glossam Jacobi 3. dicentem: demones portantur semper ignem gehennae, quocumque vadant. Ratio vero hujus discriminis petitur ex eo quod in instrumentis naturalibus, aut artificialibus, virtus causae principalis non ita est dilata, ut per seipsam posse immediate contingere passum, vel subjectum operis naturalis, aut artificiosi,

quando illud est dilans: virtus autem Dei, ob ejus immensitatem, est omnibus rebus intime praesens & indilans, unde non est necesse quod mediante instrumento illam deferente, reddatur praesens subjecto in quo gratia vel alius effectus supernaturalis produciuntur. Aliquae hujus rei exempla habemus in naturalibus: asserimus enim, licet sit tantum in capite, operatur tamen in pede, ipsum tanquam instrumentum animae sensitivae movendo, ex eo quod anima cui conjungitur, & quae est causa principalis talis motus, formaliter in pede existit. Cum ergo Deus, qui est causa principalis productiva gratiae & miraculorum, omnibus rebus praesens sit, potest humanitas Christi, ut instrumentum conjunctum ipsius, instrumentaliter physice concurrere ad producendum illos effectus in quibuscumque subjectis, etiam dilantibus, nec requiritur quod ea physice contingat.

36 Haec solutio haud dubie probabilis est, & veram ac Thomisticam doctrinam continet, ut tamen adhuc magis elucidetur, & difficultas proposita penitus evacuetur. Melius & clarius responderi potest, distinguendo duplicem propinquitatem vel contactum, nempe contactum suppositi, vel rei quae est instrumentum, & contactum virtutis, & causalitatis, quae actum cum causa principali efficit: & dicendo quod quavis ad rationem instrumenti physici (praeterquam si sit instrumentum divinae virtutis) non fit necesse ut illud per seipsam, seu per suam entitatem, attingat subjectum, vel effectum qui in eo produciuntur, quia propinquitatis agentis instrumentalis ad passum, est conditio divinae virtutis suppletiva, loquendo tamen de contactu virtutis & causalitatis, implicat contradictionem instrumentum proprie & in rigore physice causare, & quod simul cum causalitate & virtute per eum derivata a causa principali, non tangat spirituales & virtualiter passum. Unde S. Thom. infra q. 48. art. 6. ad 2. Passio Christi, licet sit corporalis, habet tamen spirituales virtutes ex divinitate unitae, & ideo per spirituales contactum efficiuntur omnia loca, & tempora & res. Resurrectio Christi est causa efficiens nostrae resurrectionis virtute divina, cujus proprium est mortuos vivificare: quia quidem virtus praesentialiter attingit omnia loca, & tempora & res. Illi contactus virtualis sufficit ad rationem hujus efficientiae, nempe instrumenti physici a Deo elevati. Quibus verbis aperte docet de ratione instrumenti physici esse quod contingat passum, seu subjectum in quo produciuntur effectus ejus, saltem contactu virtutis.

37 Ratio etiam id fuit: Non enim est intelligibile, quod instrumentum aliquid physice efficiens producat effectum, quem neque propria virtute, neque virtute ad agente principali derivata contingit, quia instrumentum, etiam a Deo elevatum, vere ac proprie agit & efficit, aliquando Deus se solo & sine instrumento totum efficit: Sed efficere nequit, si virtualiter non tangat, quia agere est virtute activa actu esse, & ipsa productio & actualis efficiencia, est virtualis & realis contactus: Ergo implicat instrumentum aliquid physice agere, nisi saltem contactu virtutis, passum, seu subjectum in quo debet recipi ejus effectus, contingat. Unde ad objectionem in forma respondeo, distinguendo Majorem. De ratione instrumenti est ut contingat subjectum in quo debet recipi ejus effectus, contactu suppositi, seu rei, nego Majorem: contactu virtutis & causalitatis, concedo Majorem. Similiter distinguo Minorem: Humanitas Christi modo in caelis exiens non contingit subjecta in quibus produciuntur gratia, &c. contactu suppositi, seu rei, concedo Minorem: contactu virtutis & causalitatis, nego Minorem, & Consequentiam.

38 Obijcit quinto: Humanitas Christi eodem modo concurrat ad productionem gratiae & miraculorum, quo ejus mors & resurrectio: Sed nec mors nec resurrectio Christi sunt causae instrumentales physice gratiae & miraculorum: Ergo nec ejus humanitas. Major est D. Thom. infra q. 48. art. 6. ubi docet omnia quae operata est humanitas Christi circa nostram salutem, praecipue ratione passionis operata esse, & quae 56. art. 1. asserit nostram resurrectionem esse effectum in genere causae efficientis resurrectionis Christi. Minor vero fuit: Quod non est, nequit esse causa physica alicujus rei: Sed passio Christi, ejusque resurrectio, modo non sunt: Ergo nequeunt esse causa physica miraculorum, & gratiae, aliorumque effectuum supernaturalium, qui nunc fiunt.

39 Haec difficultas argumento respondent aliqui, concessa Majori, negando Minorem, ad cujus probationem, negant Majorem, existimant enim id quod non est, posse de potentia Dei absoluta, physice causare: tum quia (inquit) existentia in causa efficiente, requiritur solum ut conditio necessaria ad causalem, subindeque potest a Deo suppleri, sicut approximatio seu contactus agentis ad passum, est conditio quam Deus potest supplere: ut in solutione praecedentis objectionis dicebamus. Tum etiam, quia si aliqua ratione res non existens non potest causare, maxime quia id quod in se non existit, nec ratione sui potest agere, cum in se non sit,

nec ab alio ut instrumentum ad operandum assumi: Sed haec ratio non convincit: Ergo, &c. Minor probatur: Licet id quod in se non est, non possit assumi ut instrumentum ab alio in cujus mensura non sit, non tamen impossibile videtur quod assumatur ab alio in cujus mensura est: Sed res futura, licet in propria mensura non sit, est tamen in mensura Dei, futurum enim est praesens aeternitati, quae est mensura Dei: Ergo a Deo potest assumi ut instrumentum physicum.

40 Confirmatur: Quod ratione sui non extenditur ad causalitatem alicujus termini, ut Dei instrumentum potest extendi, quia Dei causalitas ad talem terminum extenditur: Ergo pariter quod in se non existit, si tamen existat in mensura superioris Dei, quae extenditur ad futurum, ut instrumentum Dei poterit extendi ad aliquid physice causalem.

41 Haec tamen solutio fulminari nequit, potestque breviter constari: Agere enim est actualitas causae efficientis: non prima: Ergo secunda, subindeque supponit esse se, quod est prima actualitas.

42 Confirmatur: Quia calefactio est actio productiva caloris, & terminatur ad illum, debet in agente supponere calorem, vel formaliter, vel emittentem: Sed causalitas seu efficiencia physica, est productiva existentiae, & terminatur ad illam: Ergo debet supponere esse in agente, & consequenter ad agendum, semper requiritur & supponitur existentia.

Nec valet si dicas, quod agere necessario requirit existentiam, non in mensura propria, sed in mensura Dei, quae est aeternitas: Nam contra est quod operatio quae est productio rei in hac mensura nostra creata, existit etiam in tali mensura: Ergo etiam prima actualitas rei agentis, nimirum existentia, debet esse mensurata eadem mensura. Unde

43 Ad primum fundamentum hujus solutionis responderetur, multoties requiri ad causalitatem alicujus causae aliquas conditiones essentialiter, & non solum ex natura rei, ut patet in apprehensione finis, quae quidem ad finalizandum, in probabiliori sententia, solum est conditio, & tamen nec de potentia Dei absoluta potest moveri voluntas a fine, sine praevia apprehensione illius: pariter ergo ad agendum physice, essentialiter requiritur existentia, subindeque a Deo suppleri non potest. De contactu autem, jam dictum est, quod si loquamur de contactu suppositi, seu de approximatione agentis ad passum, non requiritur essentialiter ad agendum; contactus tamen virtutis, essentialiter est necessarius, cum claudatur essentialiter in actione per quam agens operatur, ut in solutione praecedentis objectionis declaravimus.

44 Ad secundum, concessa Majori, nego Minorem, ad probationem, nego Majorem, quia implicat ex terminis, ut dictum est, quod agens operatur operatione mensurata mensura creata, nisi ipsum etiam tali mensura mensuretur: cum autem est assumatur a Deo ut instrumentum, debet operari operatione mensurata mensura creata, consequens est id quod in se nullo modo existit, non posse a Deo ut instrumentum assumi.

45 Ad confirmationem, concessa Antecedente, nego Consequentiam, quia, ut modo dicebamus, hoc ex terminis implicat, nulla vero est implicancia, quod aliqua res creata recipiat in se virtutem aliquam, per quam ad aliquam operationem elevetur, ad quam ex natura sua & virtute propria nequit peringere. Haec igitur solutio- nem praetermissam.

46 Dicendum est, quod quando Divus Thomas docet passionem & resurrectionem Christi esse instrumenta nostrae salutis & resurrectionis, hoc non debet intelligi de passione & resurrectione, sed prout sunt quidam motus in fieri qui transierunt, sed secundum quod aliquo modo remanent in humanitate, ratione cicatricum, & domum gloriae, quae in ea perseverant. Vel ut alii dicunt, idcirco passio & resurrectio Christi dicuntur causae nostrae salutis & resurrectionis, quia humanitas Christi, ut per passionem & resurrectionem immutata, modificata, ac determinata, ad hos effectus praestandos a Deo ut instrumentum assumitur.

47 Obijcit sexto: In humanitate Christi nulla est virtus sufficiens ad physice causalem gratiam & alios effectus supernaturales: Ergo non causat illos physice. Consequentia patet, probatur Antecedens. Nam vel talis virtus esset corporea, vel spiritualis. Non corporea, alias non posset subjectari in anima Christi, nec concurrere ad effectum spirituales, qualis esset productio gratiae: neque etiam spiritualis, quia non posset recipi in corpore Christi, quidquid enim recipitur, ad modum recipientis recipitur, atque adeo corporeum esse debet, si ejus subjectum sit corpus: Ergo, &c.

48 Respondeo negando Antecedens, ad cujus probationem dico, virtutem constituentem humanitatem Christi in ratione instrumenti physici, esse spirituales, licet recipiantur in subjecto corporeo: Ratio est, quia licet virtus spiritualis ex natura sua permanens & completa, qualis est ea

quam habet causa principalis, nequeat recipi in subjecto corporeo, bene tamen illa quae ex natura sua est transiens & incompleta, qualis est virtus humanitatis Christi ad paranda miracula, & causalem gratiam, apte quae consistit vel in motione, vel in qualitate vitali, sive transeunte. Solutio desumitur ex D. Thoma infra quest. 62. art. 4. ad 1. ubi proposita sibi eadem objectionem, sic respondet: Ad primum dicendum quod virtus spiritualis non potest esse in re corporea, per modum virtutis permanentis & completa, nihil tamen prohibet esse in corpore virtutem spirituales instrumentaliter, in quantum scilicet corpus potest moveri ab aliqua substantia spirituali ad aliquid effectum spirituales inducendum. Juxta quam doctrinam debet similiter distinguere illud axioma: Quilibet recipitur, ad modum recipientis recipitur, & concedi, si illud quod recipitur sit permanens, negari vero, si sit solum virtus transiens. De quo fusius in Tractatu de Sacramentis disp. 3. art. 3. §. 6.

§. III.

Corollarium notatu dignum.

EX dictis inferes, gratiam miraculorum in Christo, non fuisse virtutem aliquam, seu qualitatem permanentem habitualiter in illo, sed qualitatem natura sua fluentem & transeuntem, quamvis propter dignitatem subjecti, in eo fuerit per modum habitus.

Prima pars hujus corollarii patet ex dictis, nam gratia miraculorum, seu vis parandi miracula, humanitati Christi collata, non est virtus principalis, sed instrumentalitatis, ipsam elevans ac reddens potentem ad paranda miracula: Atqui vis instrumentalitatis non est qualitas ex natura sua permanens, sed fluens & transiens, ut docet Philosophi 2. physice. Ergo & vis parandi miracula humanitati Christi collata.

49 Dices, Christi humanitati in ordine ad miracula est tribuenda perfectissima virtus instrumentalitatis possibilis, hoc enim exigere videtur infinita dignitas ipsius Christi: Sed possibilis est virtus instrumentalitatis de se permanens ad miracula efficienda: Ergo illa humanitati Christi concedi debet, Major videtur certa, Minor probatur. Character est potestas & virtus permanens in anima, ut dicemus in Tractatu de Sacramentis disp. 4. art. 2. Sed ille est vis instrumentalitatis ad efficienda sacramenta, & convertendum panem in corpus Christi: Ergo possibilis est virtus instrumentalitatis de se permanens ad miracula efficienda.

50 Respondeo primo distinguendo Majorem: Tribuenda est Christo perfectissima virtus instrumentalitatis possibilis, secundum potentiam Dei absolutam, nego: secundum potentiam ordinariam, concedo, ut enim sepe diximus, non est necesse ponere in Christo omnem majorem perfectionem ei possibilem secundum potentiam Dei absolutam, alias operaretur ponere gratiam habituales in illo in perfectioni gradu quam de facto illam habuit, cum potisset ejus gratia esse magis intensa: similiter secundum scientiam inditam omnia debuisse cognoscere per unam speciem, quia haec species non videtur impossibilis, quae tamen communiter negantur: Sed fat est illi tribuere omnem majorem perfectionem possibilem de potentia ordinaria, quae est sufficiens ad intrinsecum ornatum ipsius humanitatis, & ad finem Incarnationis, atque accommodata suavi dispositioni divinae providentiae: licet autem gratis admittatur posse dari virtutem instrumentalitatis ad miracula, de se permanentem, tamen hoc non efficit secundum potentiam Dei ordinariam, sed absolutam.

51 Respondeo secundo, data Majori, negando Minorem, nam ut ait D. Thom. 2. 2. q. 178. art. 1. ad 1. impossibile est dari aliquam qualitatem ad faciendum miracula: quod intelligendum est (ut interpretatur Capreolus) de qualitate de se & ex natura sua permanenti, non vero de qualitate vitali & transeunte. Unde ad exemplum quod in contrarium adducitur, dicendum est characterem non esse virtutem instrumentalem complete & in actu secundo, sed incomplete & in actu primo, quatenus per illum Sacerdos constituitur in aptitudine, ut recipiat virtutem instrumentalem, & elevationem a Deo, seu motionem agentis principalis, per quam ministerialiter & instrumentaliter operatur, ut in Tractatu de Sacramentis latius exponemus. Unde character est forma permanens, non quia est virtus instrumentalitatis, sed quia per illum tanquam per participationem Sacerdotii Christi sanctificantur atque deputantur fideles divini cultui: omnis autem sanctificatio quae fit per Sacerdotium Christi, est perpetua, re consecrata manente; est enim Sacerdotium Christi aeternum, secundum illud Psalmi 109. Tu es Sacerdos in aeternum.

52 Secunda pars corollarii, quae asserit virtutem parandi miracula in Christo, quamvis ex se & natura sua fuerit transiens, per accidens tamen, ob dignitatem subjecti, in eo fuisse ad modum habitus & permanentem, breviter saadet. Ad perfectionem Christi pertinebat, virtutem factivam miraculorum esse in ejus humanitate perfectissimo modo: Sed perfectius est illam habere permanentem,